

V
3 21104
e2

~~21104~~

8. 10. 1874

Fr.

21104. V. 3. e. 2. in Fr.

JESUS MARIA



A a b c d e f g h i j k l m
n o p q r s t u v x y z,
& con R. b.^s

A	e	i	o	u		Da	de	di	do	du
Ba	be	bi	bo	bu		Fa	fe	fi	fo	fu
Ca	ce	ci	cō	cū		Ga	ge	gi	go	gu

ORATIO DOMINICALIS.



PATER noster, qui es
in Cælis: Sanctifi-
cetur nomen tuum: Ad-
veniat Regnum tuum:
Fiat voluntas tua, sic-
ut in Cælo, & in Ter-
ra. Panem nostrum
quotidianum da nobis
hodie. Et dimitte no-
bis debita nostra, sicut & nos dimitti-
mus debitoribus nostris. Et ne nos in-
ducas in tentationem. Sed libera nos a
malo. Amen.



IN BASSANO (AL NEGOZIO REMONDINI) Con Lic. de' Sup.

SALUTATIO ANGELICA,



AVE MARIA, gratia plena, Dominus tecum; benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui JESUS, Sancta MARIA Mater Dei,

ora pro nobis peccatoribus nunc, & in hora mortis nostræ, Amen.

BENEDICTIO MENSÆ.

BENEDICITE, Deus. Quod appositum est, & apponetur, per Verbum Dei sanctificetur. In nomine ✠ Patris, & ✠ Filii, & Spiritus ✠ Sancti. Amen.

GRATIARUM ACTIO POST MENSAM.

AGIMUS tibi grâtiâs, omnipotens Deus, pro universis beneficiis tuis, qui vivis, & regnas in sæcula sæculorum. Amen.

Pater noster, Ave Maria.

✠ Deus det nobis suam pacem.

R. Amen.

BENEDIZIONE DELLA TAVOLA.

Io benedico ✠ quel Verbo Divino,
 Che nacque di Maria Vergin gloriosa,
 Che la sua grazia non ci sia nascosa,
 Per l' umiltà del suo dolce latino.

Benedicendo ✠ prego quel Bambino,
 Che nacque d' essa Vergine graziosa,
 Che pro ci faccia ciascheduna cosa,
 Benedicendo ✠ prima il pane e' l vino.

Benedico ✠ la mensa, e la vivanda,
 Il rosto, il lessò, ed ogni bandigione,
 E chi quelle apparecchia, e chi comanda:

Chi leva ancor le robe, e chi le pone:
 Rendendo grazie a Dio, che ce le manda:
 Perchè è un solo Dio in tre Persone.

Ora con divozione

A tavola ciascuu seder li piaccia,
 Mangiando in pace, che il buon pro ci faccia.

DECEM PRÆCEPTA DECALOGI.

UNUM cole Deum. Nec jures vana per i-
 psum. Sabbata sanctifices. Habeas in ho-
 nore parentes. Non occisor eris; Mœchus;
 Fur; Testis iniquus. Non nuptam alterius;
 Nec rem cupies alienam.

SEPTEM VIRTUTES.

FIDES, Spes, Charitas, Justitia, Temperan-
 tia, Fortitudo, & Prudentia.



DIXIT Dominus Domino meo: sede a dextris meis. Donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion: dominare in medio inimicorum tuorum. Tecum principium in die virtutis tuæ in splendoribus sanctorum: ex utero ante Luciferum genui te. Juravit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es Sacerdos in æternam secundum ordinem Melchisedech. Dominus a dextris tuis, confregit in die iræ suæ reges. Judicabit in nationibus, implebit ruinas; conquassabit capita in terræ multorum. De torrente in via bibit: propterea exaltabit caput. Gloria Patri, &c.

P S A L M U S 110.

CONFITEBOR tibi, Domine, in toto corde meo: in consilio justorum, & congregatione. Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus. Confessio, & magnificentia opus ejus: & justitia ejus manet in sæculum sæculi. Memoriam fecit mirabilium suorum misericors, & miserator Dominus: escam dedit timentibus se. Memor erit in sæculum testamenti sui: virtutem operum suorum an-

nuntiabit populo suo. Ut det illis hæreditatem gentium : opera manuum ejus veritas, & judicium. Fidelia omnia mandata ejus, confirmata in sæculum sæculi : facta in veritate, & æquitate. Redemptionem misit Dominus populo suo : mandavit in æternum testamentum suum. Sanctum, & terribile nomen ejus : initium sapientiæ timor Domini. Intellectus bonus omnibus facientibus eum : laudatio ejus manet in sæculum sæculi. Gloria Patri, &c.

PSALMUS III.

BEATUS vir, qui timet Dominum : in mandatis ejus volet nimis. Potens in terra erit semen ejus : generatio rectorum benedicetur. Gloria, & divitiæ in domo ejus : & justitia ejus manet in sæculum sæculi. Exortum est in tenebris lumen rectis, misericors, & miserator, & justus. Jucundus homo qui miseretur, & commodat, disponet sermones suos in judicio : quia in æternum non commovebitur. In memoria æterna erit justus, ab auditione mala non timebit. Paratum cor ejus sperare in Domino, confirmatum est cor ejus : non commovebitur, donec despiciat inimicos suos. Dispersit, dedit pauperibus : justitia ejus manet in sæculum sæculi : cornu ejus exaltabitur in gloria. Peccator videbit, & irascetur, dentibus suis fremet, & tabescet ; desiderium peccatorum peribit. Gloria Patri, &c.

PSALMUS 112.

LAUDATE pueri Dominum: laudate nomen Domini. Sit nomen Domini benedictum ex hoc nunc, & usque in sæculum. A solis ortu usque ad occasum, laudabile nomen Domini. Excelsus super omnes gentes Dominus, & super celos gloria ejus. Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in celo, & in terra? Suscitans a terra inopem, & de stercore erigens pauperem. Ut collocet eum cum principibus, cum principibus populi sui. Qui habitare facit sterilem in domo matrem filiorum latantem. Gloria Patri, &c.

PSALMUS 113.

IN exitu Israel de Ægypto, domus Jacob de populo barbaro. Facta est Judæa sanctificatio ejus, Israel potestas ejus. Mare vidit, & fugit: Jordanis conversus est retrorsum. Montes exultaverunt ut arietes: & colles sicut agni ovium. Quid est tibi mare, quod fugisti? & tu Jordanis, quia conversus es retrorsum? Montes exultastis sicut arietes: & colles sicut agni ovium. A facie Domini mota est terra; a facie Dei Jacob. Qui convertit petram in stagna aquarum; & rupem in fontes aquarum. Non nobis, Domine, non nobis; sed nomini tuo da gloriam: Super misericordia tua, & veritate tua, ne quando dicant gentes, Ubi est Deus

Deus eorum? Deus autem noster in caelo: omnia quaecumque voluit, fecit. Simulacra gentium argentum, & aurum, opera manuum hominum. Os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt. Aures habent, & non audient; nares habent, & non odorabunt. Manus habent, & non palpabunt; pedes habent, & non ambulabunt; non clamabunt in gutture suo. Similes illis fiant, qui faciunt ea: & omnes, qui confidunt in eis. Domus Israel speravit in Domino: adjutor eorum, & protector eorum est. Domus Aaron speravit in Domino: adjutor eorum, & protector eorum est. Qui timent Dominum, speraverunt in Domino: adjutor eorum, & protector eorum est. Dominus memor fuit nostri, & benedixit nobis. Benedixit domui Israel; benedixit domui Aaron. Benedixit omnibus, qui timent Dominum: pusillis cum majoribus. Adjiciat Dominus super vos: super vos, & super filios vestros. Benedicti vos a Domino, qui fecit caelum, & terram. Caelum caeli Domino, terram autem dedit filiis hominum. Non mortui laudabunt te, Domine: neque omnes qui descendunt in infernum. Sed nos, qui vivimus, benedicimus Domino ex hoc nunc, & usque in saeculum. Gloria Patri, &c.

P S A L M U S 116.

LAUDATE Dominum omnes gentes: laudate eum omnes populi. Quoniam confirmata est super nos misericordia ejus: & veritas Domini manet in æternum. Gloria Patri, &c.

CANTICUM B. M. VIRGINIS, *Luc. 1.*

MAGNIFICAT anima mea Dominum. Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo. Quia respexit humilitatem ancillæ suæ: ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna, qui potens est; & sanctum nomen ejus. Et misericordia ejus a progenie in progenies timentibus eum. Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles. Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes. Suscepit Israel puerum suum, recordatus misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham, & semini ejus in sæcula. Gloria &c.

CANTICUM SIMEONIS, *Luc. 2.*

NUNC dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Quod parasti an-

ante faciem omnium populorum . Lumen ad
revelationem gentium : & gloriam plebis tuæ
Israel . Gloria Patri , &c .

PSALMUS 129.



DE profundis clamavi
ad te , Domine : Do-
mine , exaudi vocem meam .
Fiant aures tuæ intenden-
tes in vocem deprecationis
meæ . Si iniquitates obser-
vaveris , Domine : Domine ,
quis sustinebit ? Quia apud
te propitiatio est : & pro-
pter legem tuam sustinui

te , Domine . Sustinuit anima mea in verbo e-
jus : speravit anima mea in Domino . A custo-
dia matutina usque ad noctem speret Israel in
Domino . Quia apud Dominum misericordia ,
& copiosa apud eum redemptio . Et ipse redi-
met Israel ex omnibus iniquitatibus ejus . Glo-
ria Patri , &c .

PSALMUS 50.

MISERERE mei , Deus , secundum magnam
misericordiam tuam . Et secundum mul-
titudinem miserationum tuarum dele iniquita-
tem meam . Amplius lava me ab iniquitate
mea : & a peccato meo munda me . Quoniam
iniquitatem meam ego cognosco ; & peccatum
me-

meum contra me est semper. Tibi soli pecca-
 vi, & malum coram te feci: ut justificeris in
 sermonibus tuis, & vincas cum judicaris. Ec-
 ce enim in iniquitatibus conceptus sum, & in
 peccatis concepit me mater mea. Ecce enim
 veritatem dilexisti: incerta, & occulta sapien-
 tiæ tuæ manifestasti mihi. Asperges me, Do-
 mine, hyssopo, & mundabor: lavabis me, &
 super nivem dealbabor. Auditui meo dabis gau-
 dium, & latitiam: & exultabunt ossa humili-
 ata. Averte faciem tuam a peccatis meis: &
 omnes iniquitates meas dele. Cor mundum crea
 in me, Deus: & spiritum rectum innova in vi-
 sceribus meis. Ne projicias me a facie tua: &
 spiritum sanctum tuum ne auferas a me. Red-
 de mihi latitiam salutaris tui: & spiritu prin-
 cipali confirma me. Docebo iniquos vias tuas,
 & impii ad te convertentur. Libera me de san-
 guinibus, Deus, Deus salutis meæ; & exulta-
 bit lingua mea justitiam tuam. Domine, la-
 bia mea aperies: & os meum annuntiabit lau-
 dem tuam. Quoniam si voluisses sacrificium,
 dedissem utique: holocaustis non delectaberis.
 Sacrificium Deo spiritus contribulatus: cor con-
 tritum, & humiliatum, Deus, non despicies.
 Benigne fac, Domine, in bona voluntate tua
 Sion: ut ædificentur muri Jerusalem. Tunc
 acceptabis sacrificium justitiæ, oblationes, &
 holocausta: tunc imponent super altare tuum
 vitulos. Gloria Patri, &c.

SYMBOLUM APOSTOLORUM.

PETRUS.

CREDO in Deum
Patrem Omni-
potentem, Crea-
torem Cæli, & Terræ.

ANDREAS.

Et in Jesum Chri-
stum Filium ejus u-
nicum, Dominum
nostrum.

JACOB MAJOR.

Qui conceptus est
de Spiritu Sancto,
natus ex Maria Vir-
gine.

JOANNES.

Passus sub Pontio
Pilato, crucifixus,
mortuus, & sepul-
tus.

THOMAS.

Descendit ad Infe-
ros; tertia die resur-
rexit a mortuis.

JACOB MINOR.

Ascendit ad Cæ-
los, sedet ad dexte-
ram Dei Patris O-
mnipotentis.

PHILIPPUS.

Inde venturus est
judicare vivos, &
mortuos.

BARTHOLO-
MEUS.

Credo in Spiritum
Sanctum.

MATTHÆUS.

Sanctam Eccle-
siam Catholicam,
Sanctorum Com-
munionem.

SIMON.

Remissionem pec-
catorum.

THADDEUS.

Carnis Resurre-
ctionem.

MATHIAS.

Viram æternam.
Amen.



SALVE Regina, Mater misericordiæ, vita, dulcedo, & spes nostra, salve. Ad te clamamus exules filii Evæ. Ad te suspiramus gementes, & fientes in hac lacrymarum valle. Eja ergo, Advocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos converte. Et JESUM benedictum fructum ventris tui nobis post hoc exilium ostende. O clemens, o pia, o dulcis Virgo MARIA. Dignare me, laudare te, Virgo sacrata: da mihi virtutem contra hostes tuos. Amen.

INITIUM S. EVANGELII SECUNDUM JOANNEM.



IN principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc erat in principio apud Deum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. In ipso vita erat, & vita erat lux hominum, & lux in tenebris lucet; & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo missus a Deo, cui nomen erat Joannes. Hic venit in testimonium, ut testimonium perhiberet de lumine, ut omnes crederent per illum. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipsum

psum factus est; & mundus eum non cognovit. In propria venit, & sui eum non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine ejus. Qui non ex sanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, sed ex Deo nati sunt. ET VERBUM CARO FACTUM EST, & habitavit in nobis; & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti a Patre plenum gratiæ, & veritatis.

R. Deo gratias.

PSALMUS IN TRIBULATIONE 90.

QUI habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cæli commorabitur. Dices Domino, susceptor meus es tu, & refugium meum; Deus meus, sperabo in eum. Quoniam ipse liberavit me de laqueo venantium, & a verbo aspero. Scapulis suis obumbrabit tibi, & sub pennis ejus sperabis. Scuto circumdabit te veritas ejus: non timebis a timore nocturno. A sagitta volante in die, a negotio perambulante in tenebris: ab incurso, & daemonio meridiano. Cadent a latere tuo mille, & decem millia a dextris tuis; ad te autem non appropinquabit. Verumtamen oculis tuis considerabis: & retributionem peccatorum videbis. Quoniam tu es, Domine, spes mea: altissimum posuisti refugium tuum. Non accedet ad te malum; & flagellum non appropinquabit tabernaculo.

lo tuo. Quoniam Angelis suis mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te: ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Super aspidem, & basiliscum ambulabis: & conculcabis leonem, & draconem. Quoniam in me speravit, liberabo eum: protegam eum, quoniam cognovit nomen meum. Clamabit ad me, & ego exaudiam eum: cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum, & glorificabo eum. Longitudine dierum replebo eum, & ostendam illi salutare meum. Gloria Patri, &c.

INGRESSIO SACERDOTIS AD ALTARE. *Ant.*

INTROIBO ad altare Dei. *R.* Ad Deum qui lætificat juventutem meam.

PSALMUS 42.

JUDICA me, Deus, & discerne causam meam de gente non sancta: ab homine iniquo, & doloso erue me. *R.* Quia tu es Deus fortitudo mea, quare me repulisti, & quare tristis incedo, dum affligit me inimicus? *V.* Emitte lucem tuam, & veritatem tuam, ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua. *R.* Et introibo ad altare Dei: ad Deum, qui lætificat juventutem meam. *V.* Confitebor tibi in cithara, Deus Deus meus: quare tristis es anima mea, & quare conturbas me? *R.* Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi: salutare vultus mei, & Deus meus. *V.* Gloria Patri, &c. *R.* Sicut erat &c.

V. Introibo ad Altare Dei. **R.** Ad Deum qui lætificat juventutem meam. **V.** Adjutorium nostrum in nomine Domini. **R.** Qui fecit cælum, & terram.



CONFITEOR Deo Omnipotenti, Beatæ Mariæ semper Virginis Beato Michaeli Archangelo, Beato Joanni Baptistæ, Sanctis Apostolis Petro, & Paulo, omnibus Sanctis, & tibi, Pater, quia peccavi nimis cogitatione, verbo, & opere, mea

culpa, mea culpa, mea maxima culpa. Ideo precor Beatam Mariam semper Virginem, Beatum Michaelem Archangelum, Beatum Joannem Baptistam, Sanctos Apostolos Petrum, & Paulum, omnes Sanctos, & te, Pater, orare pro me ad Dominum Deum nostrum.

MISEREATUR vestri Omnipotens Deus, & dimissis peccatis vestris perducatur vos ad vitam æternam. **R.** Amen.

INDULGENTIAM, & absolutionem, & remissionem peccatorum nostrorum tribuat nobis omnipotens, & misericors Dominus. **R.** Amen. **V.** Deus tu conversus vivificabis nos. **R.** Et plebs tua lætabitur in te. **V.** Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam. **R.** Et salutare tuum da nobis. **V.** Domine exaudi

orationem meam. R. Et clamor meus ad te
veniat.

ORATIO DICENDA POST MANUUM LOTIONEM.

SUSCIPIAT Dominus sacrificium de manibus tuis
ad laudem, & gloriam nominis sui, ad utili-
tatem quoque nostram, totiusque Ecclesiæ suæ san-
ctæ. R. Amen.

IN ELEVATIONE HOSTIÆ DICATUR.



CHRISTI Corpus ave de San-
cta Virgine natum.

Viva caro, Deitas integra,
verus homo.

Salve, vera salus, via, vita,
redemptio mundi.

Liberet a cunctis nos tua dex-
tra malis.

IN ELEVATIONE CALICIS DICATUR.

CHRISTI Sanguis ave, Cæli
sanctissime potus,

Unda salutaris crimina no-

stra lavans.

Sanguis, ave, lateris Christi de Vulnere sparso
In cruce pendentis; unda salubris, ave.

ORATIO, SIVE RESPONSORIUM

Seraphici Doctoris S. BONAVENTURÆ ad Divum
ANTONIUM DE PADUA.

Si quæris Miracula,
Mors, error, calamitas,
Dæmon, Lepra fugiant,
Ægri surgunt sani.
Cedunt mare, vincula,
Membra, resque perditas,
Petunt & accipiunt
Juvenes, & cari.
Pereunt pericula,
Cessat & necessitas;
Narrent hi, qui sentiunt,
Dicant Paduani.



Cedunt mare, vincula,
Membra, resque perditas,
Petunt & accipiunt
Juvenes, & cari.
Gloria Patri, & Filio, &c.
Cedunt mare, vincula,
Membra, resque perditas,
Petunt & accipiunt
Juvenes, & cari.
V. Ora pro nobis B. Antoni
R. Ut digni efficiamur pro-
missionibus Christi.

LAUS DEO.



